

docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. In quibus verbis et aliis ponderanda est vox mandati et præcepti : nam inde aperte colligitur legem Christi esse præceptivam, ac subinde propriam legem. Et ad idem ponderari potest nomen testamenti et pacti quo utitur Jeremias, et exponit Paulus, quia hoc nomine significari solet, in Scriptura, lex supernaturalis et positiva a Deo data. Et ita exponit locum Jeremiæ Hieronym. ibi, et latius Aug. de Spir. et litt., c. 26 et 27, ubi ex professo ostendit testamentum quod ibi permittitur, non includere tantum legem naturalem, sed etiam specialem legem a Christo latam, ut in c. 3 latius explicabimus.

7. *Ratione probatur.* — Ratione etiam potest hæc veritas ostendi, quia Christus Dominus, ad fidem suam et dilectionem in mundo propagandam et conservandam, et ut mediante hac fide viva fructus redemptionis suæ futuris post se hominibus communicaretur, Ecclesiam suam instituit tanquam unam spiritualem rempublicam in qua ipse regnaret, et unum corpus mysticum in quo ipse esset caput; ergo ad providentiam ejus pertinuit legem aliquam huic Ecclesiæ dare, per quam in sua institutione, et convenienti ordine ac gubernatione conservari posset. Antecedens constat ex verbis Christi Matth. 16 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et hanc Ecclesiam nomine ovilis significavit Joann. 10 dicens : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus Pastor.* Quo exemplo declarat unitatem hujus Ecclesiæ et regimen ejus sub uno Pastore, vel ipso Christo, vel ejus Vicario; et pro his omnibus ait se ponere animam suam : et ideo Paulus, Actor. 21, ad Pastores Ecclesiæ dicit : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ex quibus locutionibus et ex multis aliis quæ in novo Testamento, præsertim in Epistolis Pauli leguntur, et ex unitate Ecclesiæ in symbolo Apostolorum definita, manifeste constat Ecclesiam Christi esse unum mysticum corpus, ordinatum ad æternam felicitatem et veram justitiam per Christum consequendam, indigens spiritali regimine ad suam conservationem, et ad hunc finem assequendum. Jam ergo probatur prima consequentia, quæ lumine naturali videtur evidens, considerata naturali hominis conditione, et aliis rationibus propter

quas, in lib. 1, diximus necessarias esse hominibus leges, quia homo est animal sociale qui non potest convenienter conservari nisi in communitate perfecta, nec talis communitas potest sine legibus recte gubernari, et ideo, juxta varietatem communitatum et diversos fines earum, variæ etiam leges traduntur, ut ex usu et ex superioribus libris satis manifestum est. Cum ergo Ecclesia sit nova respublica novo modo congregata, et ad altissimum finem ordinata, pertinuit ad sapientem providentiam CHRISTI fundatoris ejus, et ad ejusdem Ecclesiæ perfectionem et stabilitatem, habere a suo fundatore aliquam legem, saltem circa principalia fundamenta talis communitatis, quia sine lege non posset in sua unitate moraliter conservari, ut ex iis, quæ de materia hujus legis dicemus, evidentius constabit.

8. *Ad fundamentum hæreticorum.* — *Lex fidei quid significet.* — Ad fundamentum ergo hæreticorum, negamus pertinuisse ad suave jugum CHRISTI, nullum præceptorum onus hominibus imponere præter legem unam fidei, ut ab ipsis explicatur; tum quia non est minus necessaria lex charitatis quam lex fidei; tum etiam quia ad conservationem ipsius fidei, et ad exercitium ejus, tam in cultu Dei quam in justificatione hominis, alia præcepta erant necessaria, quæ gravia non sunt, quia ipso spiritu fidei et novæ legis redduntur suavia, ut infra dicemus. Neque huic veritati obstat prima appellatio hujus legis, qua vocatur *lex fidei*, quia hoc nomine non significatur solum præceptum credendi; nam etiam dicitur lex amoris, et vocatur etiam lex spiritus vitæ, sub quo titulo comprehendendi possunt omnia opera necessaria ad spiritualem vitam. Dicitur ergo lex fidei, quia in se habet spiritum et gratiam, cujus fundamentum et radix est fides, et quia omnia quæ præcipit sunt principaliter fundata in fide, et ad justitiam fidei consequendam sunt valida. Et ita fere exposuit Augustinus libro de Spirit. et litter., capit. 13 et 14. Minusque jvant hæreticos verba illa Marci decimo-sexto : *Qui non crediderit condemnabitur:* nam intelligenda sunt de fide viva, seu, quod idem est, de illo qui credit sicut oportet, id est, non solum speculative, sed etiam practice, vitam suam cum sua fide conformando. Nam alias constat ex Evangelio Matthæi, vigesimo-quinto, homines condemnari non solum propter defectum fidei, sed etiam propter defectum operum; nam *Deus reddet unicuique secundum opera sua*, ad Roman. 2; et ideo monet Petrus, 2 Epistol. capit. primo : *Satagite*

ut per bona opera certam vestram electionem et vocationem faciatis.

9. Deinde non obstat secunda appellatio *legis gratiæ*, seu *gratiæ* : nam licet interdum vocetur gratia, ab eo quod præcipuum est in ipsa, et maxime intentum, non excluduntur præcepta convenientia statui gratiæ, et ideo lex etiam appellatur. Neque oportet ut in singulis locis utrumque explicetur. Quamvis ergo Joannes, capit. 1, solum dicat Christum fecisse gratiam, non excludit dedisse legem, quod in aliis locis explicatur. Imo ibi etiam comprehendere potest sub nomine veritatis; tum quia ad hanc veritatem pertinuit dare novam legem promissam; tum etiam quia legislatio, ut est pars justitiæ, sub veritate comprehendere potest.

10. *Lex libertatis quid significet.* — Neque plus obstat tertia appellatio legis libertatis; jam enim in superioribus explicatum est libertatem christianam non excludere omnium legum obligationem, sed vel obligationem legis veteris, vel legis peccati, aut ejus servitutem, non vero legis naturalis, aut humanæ hominibus convenientis. Quod si hanc non excludit, multo minus excludit obligationem legis divinæ a Christo latæ, et maxime necessariæ, ut declaratum est; et ideo Paulus, 1 ad Corinthios nono, cum dixisset : *Factus sum iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem*, id declarans subjungit : *Cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi*; et ad Rom. 6, cum dixisset : *Non estis sub lege, sed sub gratia*, ad excludendam falsam interpretationem, et imprudentem libertatem hæreticorum, interrogat : *Quid ergo peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia*, et respondet : *Absit*; et clarissime ad Galat. 5, cum dixisset : *Vos in libertatem vocati estis, fratres*, addit correctionem, *tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus servite invicem, omnis enim lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Ex quo colligi etiam potest ratio ob quam dicatur lex Christi lex libertatis; vel quia legem veterem abstulit, vel quia est lex amoris et non timoris, sicut lex vetus, et ita non coacte, sed spontanee, et maxima voluntate ac libertate ad suam observantiam inducit, vel quia liberat a servitute peccati, imo et a lege fomitis : nam licet fomitem non auferat, dat vires ad vincendum illum, ut sensit August. lib. 1 de Continentia, c. 13, et de Nat. et grat., cap. 57.

11. *Ad quartum.* — Ad quartum denique,

ex nomine Evangelii nullum argumentum sumitur; tum quia licet Evangelium denominatum fuerit a bono nuntio regni cœlorum, et salutis per Christum factæ, non excludit reliqua; tum etiam quia illud bonum nuntium promissionis Regni cœlorum in Evangelio non fit, nisi sub conditione servandi legem Christi. Et hæretici hoc negantes contra expressa verba Christi et contra alias Scripturas loquuntur : nam Joann., c. 15, expresse posuit Christum conditionem, dicens : *Vos amici mei estis, si feceritis ea quæ ego præcipio vobis*; et iterum : *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*; et c. 14 : *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me*; et ad Rom. 8, cum Paulus dixisset : *Si filii et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, statim subjungit conditionem : *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur*, quæ est conditio non tantum fidei, sed etiam operum; et 2 ad Tim. 2 : *Si quis, inquit, emundaverit se ab istis, erit vas in honorem*; et iterum : *Si sustinebimus, et conregnabimus, etc.*; et infra : *Non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus*, ubi virtute includitur conditio non tantum fidei, sed etiam dilectionis. Et eadem includitur in omnibus testimoniis, in quibus promissio fit facientibus voluntatem Patris, ut Matth. 7, vel obedientibus, ut ad Hebr. 5, ubi de Christo dicitur : *Didicit ex his quæ passus est obedientiam, et consummatus, factus est, omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Et eodem modo in ipsa prima annuntiatione Regni cœlorum, quæ in Evangelio habetur, ponitur conditio pœnitentiæ; sic enim aiebat Joannes : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum*; ergo Evangelium non excludit obedientiam, et observantiam legis Christi : non ergo repugnat vera lex cum Evangelio.

CAPUT II.

QUÆ SIT MATERIA LEGIS NOVÆ, ET QUÆ PRÆCEPTA EJUS.

1. *Materia legis novæ.* — *Causa finalis.* — Ex causis legis novæ, efficiens et finalis satis explicatæ manent ex dictis in capite præcedenti. Ibi enim ostendimus legislatorem hujus legis fuisse Christum Dominum, ac subinde Deum ipsum; tum quia ipse Christus Deus verus est, tum etiam quia per Christum ut hominem Deus locutus est nobis, juxta illud ad

Hebr. 1: *Novissime locutus est nobis in filio*; et inde in cap. 2 præfert legem novam veteri, quia illa per Angelos, hæc per Christum data est, et in citato loco 1 ad Corinthios 9 inde concludit se non esse sine lege Dei, quia est in lege Christi: est ergo hæc lex divina et Christi, nec de ejus causa efficiente aliud superest dicendum. Causa item finalis clara est ex dictis in superiori capite; nam finis ultimus hujus legis est perducere homines ad regnum cælorum, prout specialiter in hac lege promissum est, utique tanquam jam reseratum, et in fine vitæ per exactam hujus legis observationem consequendum, ut late declaravit Paulus ad Hebræos 9. Proximus autem finis generalis hujus legis est perfecta sanctificatio fidelium per verum et perfectum cultum Dei, et per applicationem meritorum et satisfactionum Christi per media et instrumenta ab ipso ad hunc finem instituta. Quod totum satis etiam constat ex nominibus et attributis hujus legis quæ supra posuimus, et magis declarabitur ex dicendis infra de effectibus hujus legis; nam finis et effectus in idem coincidere solent. Intelligo autem hunc esse generalem finem: nam in particulari singula præcepta habent suos fines proprios: nam alius est finis præcepti Baptismi, alius Confessionis vel Eucharistiæ, ut per se notum est, et in omni lege pro diversitate præceptorum ex natura rei est necessarium. Solum ergo superest dicendum de causa materiali et formali, per quas simul essentia et substantia hujus legis explicabitur.

2. *Materiam hujus legis partim moralem, partim cæremonialem esse.*—Quod ergo spectat ad materiam hujus legis, dicere imprimis possumus illam partim moralem esse, partim cæremonialem, ac subinde præcepta hujus legis in moralia et cæremonialia distingui posse. Non addimus autem hic tertium membrum judicialium præceptorum, quod in veteri lege posuimus, quia perfectio hujus legis illum præceptorum ordinem nec requirit, nec admittit. Quod potest commode explicari ex duabus causis, efficiente et finali supra explicatis. Nam Christus Dominus, auctor hujus legis, sicut temporale regnum sibi non assumpsit, nec temporale judicium, ut ipse ad Pilatum respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, Joan. 18, et Luc. 12; et ad illum qui postulaverat: *Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*, respondit: *Homo, quis me constituit judicem inter vos?* ita nec temporale regnum aut rempublicam politicam instituit,

sed solum Ecclesiam suam, quatenus congregatio est ad spiritualem finem per spiritualia media ordinata, et ideo per se tantum illas leges tulit, quæ ad hunc finem directe pertinebant. Leges autem judiciales in lege veteri per se spectabant ad politicum regimen temporalis regni, et ideo Christus in sua lege nihil de præceptis judicialibus statuit. Quinimo etiam in Ecclesia Christi, ut talis est, aliquæ leges judiciales sint necessariae ad politicum regimen ecclesiasticum, quod suo modo spirituale est, nihilominus noluit Christus Dominus per seipsum illas leges ferre, sed id vicariis suis commisit, potestatem ad illas ferendas eis tribuendo, et ideo illæ leges non sub lege divina, sed sub canonica computantur. Proprie ergo loquendo de lege nova divina, in illa non inveniuntur præcepta judicialia.

3. *Duo membra dicta explicantur.*—Alia vero duo membra in hac lege inveniri certum est; colliguntur enim aperte ex locis Scripturæ supra citatis. Nam imprimis de moralibus est totum caput Matth. 5, ubi Christus virtute confert legem suam moralem cum morali antiqua, et ostendit perfectiori modo se illam tradere ac declarare, dicens: *Ego autem dico vobis*, etc. Hanc enim vim habent dicta verba, et communiter expositores notant, et Augustin. sensit lib. 1 de Sermon. Domini in monte, et 1 Retractat., cap. 19. Deinde, Joan. 13 et 14, renovat præceptum dilectionis proximi, quod morale est, et illud suum specialiter appellat: in illo autem præcepto tota lex moralis virtute continetur, ut Paulus dixit; certum ergo est præcepta moralia contineri in lege nova, et obligare Christianos. Quod non solum est verum de præceptis fidei, spei et charitatis, quæ suo modo inter moralia computantur, ut superiori libro explicavimus, sed etiam de præceptis Decalogi, et de omnibus quæ ad illa revocantur. Nam priora perfectissima sunt, et maxime pertinent ad perfectionem legis gratiæ; posteriora vero etiam sunt necessaria, quia sine illis vera justitia subsistere non potest. Et ita Christus Dominus, Matth. 7, generale principium tradidit, quod omnia moralia continet: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis*; cui consonat illud Pauli ad Galat. 6: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*, ubi non obscure significat legem Christi totam hanc materiam moralem complecti.

4. *Dubitatio.*—Circa hanc vero partem dubitari potest an in hac materia morali Chris-

tus Dominus aliquod positivum præceptum addiderit, præter omnia præcepta moralia, quæ dicuntur esse juris naturalis, sive consentanei rationali naturæ pure sumptæ, sive elevatæ per gratiam, seu connaturalis ipsi gratiæ. Videtur enim Christus multa præcepta positiva in hac materia addidisse. Nam imprimis est axioma theologorum quos infra referam, in lege nova non esse alia præcepta, nisi fidei et sacramentorum. Ex quo axiomate nunc tantum sumo priorem partem, affirmantem de præceptis fidei: nam illa inter moralia computantur, ut diximus, et tamen positiva sunt, ut præceptum credendi explicite Trinitatem, vel mysteria Christi incarnati, passi, etc.; hæc enim præcepta nec semper fuerunt, nec ex natura rei erant necessaria: et eadem ratione possunt addi præcepta spei: nam tenemur in lege gratiæ sperare remissionem peccatorum et gratiam explicite per Christum, quæ obligatio nascitur ex speciali præcepto Christi; nam antea non erat. Item tenemur sperare ingressum in regnum cælorum statim post mortem, si peccati impedimentum omnino sublatum est, et similia. Præterea item de præcepto charitatis Dei, quia tenemur explicite diligere Deum trinum et unum. De dilectione autem proximi, dixit Christus Joann. 13: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*, ubi vocans præceptum novum, indicat esse positivum: novitas autem videtur in hoc consistere, ut discipuli Christi, id est, Christiani particulare præceptum habeant se diligendi speciali modo, et peculiari titulo, quia in uno corpore eidem capiti Christo conjunguntur, sicut etiam Christus hoc titulo speciali modo illos diligit, eo quod sint membra sua. Et ita sentire videtur Tolet. ibi in commentario, et annot. 30, ubi addit præceptum illud non fuisse de dilectione proximi, quæ ad omnes homines extenditur, sed de dilectione, quam Christiani, eo quod Christiani sunt, inter se habere tenentur; et hoc præceptum ait esse proprium Christi, quia a solo ipso datum est, et novum fuisse in nocte cœnæ, quia etiam ab ipso Christo antea datum non fuerat. Denique possumus similia facere argumenta de aliis præceptis moralibus: nam Matth. 5, videtur Christus Dominus aliquas circumstantias in illis præcipere, quæ non sunt de jure naturæ, ut est præceptum de insolubilitate matrimonii, et de evitando juramento per cælum et terram, etc. Item præceptum illud: *Benefacite iis qui oderunt vos*; item in præcepto ora-

tionis addidit specialem formam orandi, Matthæi 6; et aliis locis videtur præcipere Christianis specialem frequentiam orandi, et modum explicite petendi per ipsum, Joan. 14 et 16; imo totum præceptum orandi videtur positivum, et maxime proprium Christianorum, licet usus orandi antiquior et universalior sit.

5. *In lege nova nullum esse additum a Christo præceptum positivum morale.*—Nihilominus dicendum est in lege gratiæ nullum esse additum a Christo præceptum positivum morale. Sumimus autem morale stricte, ut a cæremoniali distinguitur: nam, ut libro superiori adnotavimus, etiam cæremoniales actus possunt dici morales, quatenus ad virtutem moralem religionis spectant, et ejus honestatem moralem participant, in quo sensu Christus tulit aliquot moralia præcepta, ut mox patebit. Priori ergo modo intellecta hæc assertio sumitur ex dicto communi axiomate theologorum, et ex D. Thom. 1. 2, q. 108, art. 1, in fine, et clarius a. 2, in fine, ubi ait: *Lex nova nulla alia opera determinare debuit, præcipiendo vel prohibendo, nisi sacramenta, et moralia præcepta quæ de se pertinent ad rationem virtutis, ut non esse occidendum, furandum, et similia*; ubi notanda sunt ultima verba et exempla; negat enim esse in hac lege alia præcepta moralia præter ea quæ per se pertinent ad rationem virtutis, id est, quæ sunt necessaria ad virtutem, ut in utroque articulo ipsemet explicat; imo inde rationem sumit, quia cum hæc sit lex gratiæ, solum ea præcipere debuit, vel prohibere, per quæ in gratiam introducatur, vel quæ pertinent ad rectum gratiæ usum ex necessitate. Additque optimam confirmationem, quia in lege veteri non erant alia præcepta moralia, præter ea quæ naturalia sunt, neque enim illa lex addebat positivas determinationes moralibus præceptis, ut distinctis a judicialibus, et cæremonialibus, quod supra etiam ostensum est: ergo multo minus lex nova debuit tales positivas determinationes addere, quia quantum ad hoc, (ait D. Thom.) *lex nova super veterem addere non debuit*; et in art. 1, circa finem, ait legem Evangelii, etiam quoad hoc, dici legem libertatis, quia lex vetus tam multa in particulari præcipiebat, ut fere nihil liberæ determinationi subditorum relinqueret: lex autem nova e converso nihil per legem positivam determinat ir prohibet, quæ habent necessariam convenientiam, vel contrarietatem ad interiorum gra-

tiam, quæ in fide per dilectionem operante consistit.

6. *Confirmatur doctrina tradita. — Circa præceptum fidei duo distinguenda.* — Constat autem magis hæc veritas discurrere per singulas partes inductionis in contrarium factæ: non possumus autem de singulis ex professo et integre dicere, quia oporteret multa ex aliis materiis involvere, quod a nostro instituto alienum est; solum ergo punctum præsentis difficultatis in singulis attingemus. Circa præceptum ergo fidei duo distinguenda sunt, scilicet, revelatio cum sufficienti propositione credendorum, et obligatio ad credendum ea quæ revelata et proposita sunt. Utrumque ergo repertum est in omni lege divina, semperque fuit ad salutem necessarium. Differentia autem inter legem gratiæ et antiquiores est, quod in hoc tempore expressior et de pluribus mysteriis facta est revelatio, et generalior propositio quam in lege veteri vel naturali, et inde consequenter factum est ut in lege Christi sit obligatio credendi explicite plura mysteria supernaturalia, quam antea: et quantum ad hoc dicant theologi legem novam addidisse aliquid præcepto fidei. Nihilominus tamen probabiliter dici potest illud præceptum, etiam prout nunc est in lege nova, non esse mere positivum, sed de lege naturæ connaturali interiori gratiæ, et divinæ illuminationi, seu revelationi. Nam ex illis duobus quæ supra distinximus, revelatio et prædicatio talis doctrinæ fuit ex voluntaria dispositione Dei, et ita dici potest de jure divino positivo pertinente ad novam Ecclesiæ institutionem, in qua Christus voluit esse tantam lucem, et cognitionem Dei adeo perfectam. At vero obligatio ad credendum, quæ inde sequitur, jam non est mere positiva, quia, eo ipso quod mysteria fidei sufficienter proponuntur, intrinsece et ex natura rei sequitur obligatio credendi quæ proposita sunt. Sic ergo licet ex parte objecti hoc præceptum possit præsuppositivum, ut sic dicam, dici positivum, quatenus supponit revelationem, quæ simpliciter non erat necessaria ex vi juris naturæ, nihilominus formaliter et in se est quasi naturale respectu gratiæ existentis in tali statu et perfectione. Hoc ergo modo verificatur conclusio etiam in materia fidei, quatenus sub materia morali, id est, necessaria ad bonos et sanctos mores comprehenditur.

7. *Objectio.* — Sed instabis: quia in lege nova non tantum est præceptum credendi hæc mysteria quasi ex suppositione revelationis,

et propositionis rerum credendarum, sed etiam est absolutum præceptum ea audiendi et sciendi, et consequenter credendi, quod est præceptum longe diversum, et simpliciter positivum: ergo quoad hoc negari non potest quin lex nova in materia fidei addiderit positiva præcepta. Assumptum declaratur, quia hoc præceptum fidei secundum ordinariam legem applicatur hominibus per auditum, teste Paulo ad Romanos 10; ergo ut homines possint obligari ad credendum, necesse est ut obligentur ad audiendum; ergo per aliquod præceptum, quod sub nulla consideratione potest dici naturale, sed positivum. Et declaratur amplius: nam fideles tenentur nunc explicite credere mysterium, verbi gratia, Trinitatis, vel Incarnationis, ex jure divino, quia talis fides est nunc medium necessarium ad salutem (ut suppono); hæc autem necessitas involvit præceptum divinum, quod non potest esse, nisi absolutum et positivum: nam illud prius quasi conditionatum, credendi ea quæ revelantur, non sufficeret ad dictam necessitatem: nam sine violatione hujus præcepti hypothetici, ut sic dicam, posset quis nunquam credere explicite Trinitatem, aut Christum; ergo ut ad hoc obligentur fideles, necessarium est speciale præceptum positivum et absolutum. Item in Pastoribus Ecclesiæ est obligatio prædicandi, et docendi hanc fidem ex præcepto Christi: *Docete omnes gentes, et prædicate Evangelium*; unde est illud Pauli ad Corinth. 9: *Necessitas enim mihi incumbit, vae enim mihi est si non evangelizavero*: hoc autem præceptum positivum etiam est.

8. *Responsio.* — *Ad primum.* — Incipiendo ab hoc ultimo, majoris claritatis gratia, respondeo præceptum illud prædicandi vel docendi, datum pastoribus Ecclesiæ, in radice, id est, in institutione esse positivum, in se autem et formaliter esse naturale. Munus enim episcopale seu pastorale est in Ecclesia ex positiva institutione Christi, ut per se constat: supposito autem tali munere, obligatio docendi aut prædicandi Evangelium de jure divino naturali est, pertinens ad obligationem justitiæ et fidelitatis, quæ intrinsece ex tali munere nascitur, quod significavit Paulus supra dicens: *Dispensatio mihi credita est*. Ad primum ergo imprimis respondeo, cum proportionem, non esse necessarium ut ex parte audientium præcedat speciale præceptum positivum audiendi doctrinam, vel prædicationem fidei. Nam si sit sermo de hominibus nondum credentibus in Christum, illi non

sunt capaces obligationis provenientis ex præcepto supernaturali, donec illis sufficienter proponatur fides, quia propositio supponit auditum: ergo antea non potest præcedere obligatio audiendi proveniens ex supernaturali præcepto. Igitur nulla obligatio præcedit ex parte audientium, sed tantum ex parte prædicantium. Quæ moraliter reputari potest sufficiens, quia si ex parte evangelizantium sit zelus et sollicitudo, non deerunt qui de facto audiant; ad quod magis trahendi sunt, suavi inductione invitando illos, quam rigorosa obligatione. Vel certe quando hæc obligatio incipit, magis est ex ratione naturali, quam ex lege supernaturali. Quia homo naturaliter tenetur veram Dei cognitionem veramque felicitatem quærere, unde quomodocumque, vel per vocem prædicationis, vel per famam, vel per proprium discursum incæperit dubitare de sua lege, vel statu, tenebitur eis attendere qui viam salutis docere profitentur: ergo respectu infidelium non est necessarium ponere hoc speciale præceptum positivum. Neque etiam respectu jam credentium in Christum; tum quia illi jam obligantur, præcepto charitatis infusæ erga seipsos, ad propriam salutem spiritualem quærendam, et consequenter ad audiendum Dei verbum quando ad suam salutem fuerit necessarium: neque enim ex jure divino majorem habent obligationem. Et simili modo teneri poterunt ad audiendam doctrinam fidei quando fuerit necessarium ad credendum quantum oportet; tunc autem obligatio nascitur ex ipsomet præcepto fidei, de quo dicendum superest.

9. *Ad alteram partem responsio.* — Ad alteram ergo partem respondeo admittendo in lege nova esse specialem necessitatem fidei explicite, tam ad justitiam quam ad salutem æternam consequendam; concedendo item hanc necessitatem provenire ex peculiari institutione Christi Domini, quæ positiva sine dubio est, cum non fuerit simpliciter necessaria. Unde fit etiam consequens præceptum talis fidei, prout est proprium legis novæ, et divinum positivum censi posse, saltem ratione institutionis. Posita autem institutione respectu illius, et status legis gratiæ, tale præceptum merito existimari potest connaturale illi. Primo, quia præceptum recognoscendi auctorem legis et obediendi illi, est valde connaturale cuicumque legi; ad hoc autem necessaria est expressa et distincta cognitio ejus: cum ergo Christus sit auctor hujus legis, valde connaturale est illi præceptum

credendi in Christum. Cum hoc autem conjunctum est præceptum cognoscendi Trinitatem, ut nunc suppono, quia cum Christus sit secunda Trinitatis persona, non potest haberi fides de illo sufficienter explicite sine fide explicite Trinitatis. Secundo, quia fides præcipitur non solum tanquam speculativa cognitio, sed etiam tanquam practica et operativa; ad usum autem sacramentorum hujus legis necessaria est fides explicite Trinitatis, quam oportet in Baptismo profiteri, et fides explicite Christi, quem oportet in Eucharistia recipere, et Patri in sacrificium offerre; ergo, supposita institutione maxime consentanea perfectioni hujus status, etiam talis fides et præceptum ejus merito dici potest esse de jure divino connaturali gratiæ, ut existenti in tali statu, in quo gratia tam perfecto modo communicatur.

10. *Ad secundam partem, de præcepto spei.* — Atque hinc facile respondetur ad secundam partem, de præcepto spei; fatemur enim usum spei multo perfectiorem postulari in lege Evangelii quam antea; tum quoad modum sperandi gloriam; tum quoad multa media supernaturalia; nunc enim sperare tenemur remissionem peccatorum per Baptismum, et per absolutionem sacerdotis, et augmentum justitiæ per alia sacramenta; tum etiam quoad modum sperandi per Christum, et per speciales promissiones per ipsum factas. Non est autem necesse ut propter has et similes perfectiones data fuerint in hac lege specialia præcepta positiva circa materiam spei, quia tota hæc perfectio et obligatio ad illam ex natura rei sequitur, supposita perfectione fidei circa Christum et redemptionem ejus, et supposita tali sacramentorum institutione. Sicut etiam supposita fide incarnationis, et institutione Eucharistiæ ac fide ejus, nascitur in hac lege obligatio adorandi cultu patriæ Christum, tam in se quam in Eucharistia, et nihilominus illa obligatio non oritur ex præcepto positivo divino, sed ex jure divino naturali, et connaturali talibus mysteriis: ita ergo de spe dicendum est.

11. *Ad illud de charitatis præcepto responsio.* — Atque eodem modo dicendum censeo de charitatis præcepto. Quod in dilectione ad Deum videtur manifestum. Nam, ut verum sit debere nos nunc diligere Deum, et Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, qui est perfectior diligendi modus, nihilominus illa perfectio, vel obligatio ad illam non oritur ex præcepto positivo, sed ex ipsa natura charitatis, supposita